

*B. D. Dorscheus* in discussione explicationis Grotianæ circa locum Act. XV. ita respondet. I. Auctorem ejus novellæ esse Leonem VI. cognomento *σοφόν* Basilii Filium, qui trecentis sexaginta annis post Justinianum fuerit, coætaneus Arnulphi Rom. Imperat. uti ex novellis ejus constitutionibus appareat, qui passim traducat & sigillet leges anteriorum Imperatorum. Nullam autem auctoritatem meruisse in Imperio & Ecclesia, conf. Cujac. Observat. lib. XVII. §. 1. Notamus 2. quod videri possit, Imperatorem legem tulisse in eum finem, ut tanto lubentius Judæi ad consuetudinem cum Christianis transirent. Impense hoc egit Imperator, ut Judæi secundum Christianismi ritus viverent: Qua de re & novellam 55. ad Stylianum direxit. Quod ut promptius efficerent Judæi, Christianis esum sanguinis interdicare voluit. Hæc ille, quæ nostris adjicienda putavi. Ex occidentalis Ecclesiæ particularibus Conciliis vel auctoritatibus Doctorum quæ opponuntur, nil prorsus faciunt pro agnoscenda lege Apostolorum, ut moraliter devinciente. Quandoquidem autem paucissima illa sunt, inde plurima alius sententiæ, & hæctenus in occidente receptissimæ pro concessio sanguinis esu occurrere testimonia manifestum est. Eo collineasse *Fr. Surium* credidero, cum legem de sanguine non edendo in Occidente ratam fuisse negat. Quod enim alicubi tantum traditur, id pro rato ubiqve non agnoscitur. Tacebo Antistitum Ecclesiasticorum væcordiam an ignorantiam, seu simplicitatem dixero, non protinus pro re rata militare, quam crassam fuisse saculo Bonifacii Moguntini Archiepiscopi & Zachariæ Papæ vel illa ostendunt, quæ inter utrumque de carnis & morticiniorum esu fuerunt agitata. Hinc cætera objecta facile diluuntur, quæ sigillatim perlustrare nec necessarium ducimus, nec instituti ratio, quo præcipua solum volebamus percurrere, id patietur. Fastidium in multis est, in paucis satiety invenitur.

CAP. VI.